



**Baldvini Cabilliavi E Soc. Iesv Magdalena**

**Cabilliau, Baudouin**

**Antwerpen, 1625**

Elegia XII. Magdalena dubitat, an lacrymis, an myrrhâ vngat Christvm  
sepultum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70461](#)

Non illi liquidos indulget Nais amores;  
 Vritur immitti flos tener ille gelu.  
 Attamen hoc quoties ducis suspiria prato,  
 O quoties inhias mellis auara fauum!  
 Vel saltem modicum rorem libasse vel auram  
 Hac violâ, ô quanti præmia mellis habet!  
 Opto quidem, roseo lege pabula blanda labello.  
 Sed quid? Iesseides flos nisi sicca cinis;  
 Attamen vsque super volitat tua eura sepulcro,  
 Haud fecis ac vernis pasta melissa rosis.  
 Mel quid adhuc inhias apis? ô malè prouida  
 Amoris,  
 Ocyus hinc rapido mœsta facesse gradu.  
 Hic quod agas nihil est primæuo in frigore leti;  
 Spes vbi nulla faui est, fel necis ægra bibes.

## E L E G I A X I I .

M A G D A L E N A dubitat, an lacrymis,  
 an myrrâ ungat C H R I S T U M se-  
 pultum.

Vrt nouus aurato Titan incanduit ostro,  
 Lataque purpureo sidere fulsifit Eos;  
 Magdalina vrget Amor, stimulis Amor acribus  
 vrit,  
 Nec languere diu passus, in arua rapit.  
 Sicut erat (& erat plenis onerata alabastris)  
 Currit, & albentes turbida lustrat agros. (est.  
 Quò ruat, inquiris? marmor breue meta labori  
 Hic spes, hic cupidæ præda relicta spei est.  
 Ut ventum proprius necis ad ferale theatrum,  
 Constitit; incertus pes sed ut vnda labat.

Huc

Huc alternus & huc animum rapit æstus, & altis  
Vndantem curis dissona vota trahunt.

Quo de fonte sacræ libabit dona fauillæ?

An myrrhā, an lacrymas, munera prima feret?  
Et myrrhā & lacrymas geminâ dic fundat acerrâ:

Vna duplo (nescis?) hîc calet ara sacro.

Hîc homo cui leto crux surpuit improba vitam,  
Et iacet hîc leti nescia vita Deus.

Cerne, pios sitiunt tot hiantia vulnera rores.

Si lubet inferias soluere, solue croco.

En myrrham (qui mortis honos) nardumque  
sepulto

Impluis, Arabico munera lecta solo.

Nolo crocum myrrhamque, pio sine rore doloris;  
Et sine fruge croci, nolo doloris aquas.

Cinnama quid surdum spirat, inodoraq; myrrha  
Exspirat, socias ni dolor addat aquas.

Nam fastidit Amor costumque, rosamque, cro-  
cumque,

Ni liquor iste fluat, qui sit Amoris odor.

Ille tuis oculis tepidas exsudat in vndas;

Nullus enim mœsto gratior imbre vapor.

Funde licet lacrymas; lacrymæ mera nardus  
Amoris;

Et pia myrrha nouâ tinxerit arte Deum.

Quippe genis quas mœror aquas irrorat amarus,  
Mortis amans myrrhâ diuite vertit Amor;

Balsameosque meris lymphis distillat odores,  
Quæ calet artifici Dædala flamma foco.

Quid vetat, & lacrymas, queis tingis & vngis

I E S V M,

Myrrheus vnguento vertat olente dolor?

E L E-